

diligenter custodiamus: Alias perditur fides, 1. Tim. 1. v. 5. remissio peccatorum Heb. 9. v. 14. fiducia cordis Rom. 5. v. 1. spes salutis Apoc. 22. v. 18 & 19. &c.

IN LOCO
DE SACRA SCRIPTURA
THEOREMATA.

1. **Q**uatuor hic attendenda veniunt. 1. Definitio. 2. Resolutio. 3. Divisio. 4. Attribute.
2. Definitio hæc est: Sacra Scriptura est verbum DEI immediato Spiritus Sancti afflatu à Prophetis lingua Ebræa, ab Evangelistis & Apostolis lingua Græcæ ita perscriptum, ut exinde solùm, perspicuè & perfecte de Dei essentia voluntate & ejus cultu erudiamur, & dijudicare discamus, quò viam recte instituamus & vera vita beemur.
3. Resolutio definitionis hujus & Nominalia & Realia concernit.
4. Nominalia agunt de etymo, homonymis, & synonymis.
5. Etymon est, quod dicatur Scriptura, à scribendi actione, quia verbum DEI viva voce ante conservari solitum, DEI jussu in literas est redactum. Exod. 24. v. 4. Deut. 4. v. 13. Sacra additur ex Rom. 1, 2. tum quia DEum habet autorem, 2. Pet. 1. v. 21. tum quia res sacras tractat, 1. Cor. 2. v. 14. tum quia homines sanctificat, Johan. 17. v. 17.
6. Homonyma est, quod per scripturam intelligitur vel formale tantum, seu apices, syllabæ, voces, lineæ: vel materiale & formale simul, seu signum & signatum, adeoq; illud ipsum, quod scribendo notatur & significatur, scil. DEI verbum de essentia & voluntate ejus nos iustruens: Unde & vivus Dei sermo dicitur, Ebr. 4. v. 12.
7. Ad Synonymiam referimus honorificos DIVINI verbi titulos, quorum alii sunt ἑγγραφοί, ut cum audit Dei schola Psal. 94. v. 12. Rerum medicinalium officina, Sap. 16. v. 12. Armamentarium spirituale, Eph. 6. v. 17. Alii ἀγραφοί à Doctores Ecclesiæ & aliis scriptoribus adhibiti. Augustinus vocat literas invitatorias, quia